

quadam sibi propria, et fortitudine faciant Virtutes, Potestates autem ordinem in his agendis; ab omni procul confusione observent. Tertius autem ordo, videtur proxime, hominum generi providere, et Principatum, principum curam gerere. Archangelos vero, populorum, principibus subditorum. Angelos denique, hominum singulorum. Per quos, humanum genus totum, et quo ad intellectionem illuminatur, et quo ad voluntatem purgatur (quibus id datum tamen est). Et quo ad utraque perficitur: neque enim decuit, supereminentem omnibus bonitatem, entia omnia procreare, et ea deinde casui relinquere. Aut a se ipsis aliena, disiuncta et discrepata remanere. Sed si integra, et ipsa bonitas permanere debuerat, necesse fuit, et universa simul coniungere, et a se iugiter pendere, et ad se converti, et ad primum fontem regredi, apta ut essent, efficeret. Sed id fieri nequaquam potuit, nisi suprema, mediaque, et infima entia vinculis quibusdam colligarentur. Quod harum mentium amore, et ministerio aptissime effici potuit.

Sed Mentium harum dogma, quas Dionysius noas νοῶς, ὑπερκοσμίους, καὶ ὑπερουρανίους, supra mundanas, et supercœlestes appellat mentes, Chaldæi multis seculis ante videntur, et cognovisse et docuisse. Et in tres generales ordines distribuisse, Michæle Psello referente. Nam post eam triadem quæ paternum constituabat profundum, constabatque Patre, Potentia et Mente, addit Καλοῦσι δὲ ταύτας καὶ νοητὰς. Vocant autem has, etiam intelligibiles.

Alias quoque duas, ex ea rei natura divisione necessaria, constituerant, medium, et secundum quendam diacosmum et ordinem, qui esset intelligibilium et intellectualium simul, canit enim (Zoroaster).

Τὰ μὲν ἐστὶ νοητὰ. καὶ νοερὰ, ὅσα νοοῦντα νοεῖται.

“Sunt intelligibilia, et intellectualia, quæcumque dum intelligunt, intelliguntur.”

Et tertium τῶν νοερῶν, intellectualium tantum, qui vel intellectus esset vel haberet intellectum. Et Psellus, post verba allata, subdit:

Μεθ’ ἃς ἄλλον διάκοσμον, τῶν νοητῶν ἅμα καὶ νοερῶν τριχῆ καὶ τοῦτον διηρημένον εἰς ἕγχα, καὶ συνοχέας. καὶ τελετάρχας.

“Post quas, alium ordinem, intelligibilium simul et intellectualium, Trine, et hunc divisum, in Iyngas et Synocheas, et Teletarchas.” Et subnectit.

Μετὰ δὲ τὸν μέσον διάκοσμον, ὁ νοερὸς ἐστὶ, μίαν ἔχων τριάδα πατρικὴν. Τὴν τοῦ ἅπαξ ἐπέκεινα, καὶ τῆς Ἐκάτης, καὶ τοῦ δις ἐπέκεινα, οὗς πηγαιούς πατέρας καὶ κοσμαγωγούς καλοῦσι.

“Post vero medium ordinem, intellectualis unam habens triadem paternam, eius qui semel est trans. Et Hecates, et eius, qui bis est trans. Quos fontanos patres, et mundi ductores vocant.”

Sane ut hoc obiter admoneamus, Intelligibilium primus ordo is dicitur, qui tantum intelligitur, et hic est supremus. Secundus, qui et medius est, intelligibilium simul et intellectualium. Hoc est eorum, qui et intelliguntur, et intelligunt. Uti Zoroastri allatum oraculum cecinit. Tertius vero intellectualium est, qui tantum intelligit, quia vel intellectus essentia est, vel intellectus participatione. Ex qua divisione, facile comprehendimus supremum ordinem, supra intellectum esse, ut qui a mentibus mediis intelligitur. Medium vero, qui superioris est particeps. Mentibus tamen constans, quæ et superiora uti dictum est, et se ipsas intelligunt. Tertium vero esse Mentium, quarum munus est intelligere, et se ipsas, et superiora, et inferiora quoque, ut nos putamus. Nam Psellus horum, relator tantum est, non etiam declarator. Ad quos tres ordines, possunt fortasse hierarchiarum ordines accommodari. Nam Dionysius, non raro his etiam nominibus utitur. Teletarchis nimirum, quibus Chaldæi uti fuerant. Sed et Amilictorum nomine idem Dionysius utitur, quo et Chaldæi. Inquit enim Psellus.

Ἐτέραν δὲ τὴν τῶν ἀμειλίκτων τριῶν ὄντων, καὶ ἓνα τὸν ὑπεζωκότα. πηγαὶ δὲ αὐταὶ ἐπτὰ. μετὰ δὲ τὰς πηγὰς ταύτας, οἱ ὑπεράρχιοι. εἶτα οἱ Ἀζωνοὶ ἔπειτα οἱ ζωνάιοι. Μεθ’ οὗς ἄγγελοι, εἶτα δαίμονες. ἥρωες μετ’ αὐτοῦς, μεθ’ οὗς ψυχαί, καὶ λοιπὸν ὁ κόσμος ὁ σωματικὸς.